



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum Communem Hostem Christianorum

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Numerus XIV. Mirabiles victoriæ, virtute Eucharistiæ, omnium Dei mirabilium maximi, per Christianos Principes de fidei inimicis reportatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

per hoc admirabile Sacramentum :
quod est Myſterium fidei, novum opus
omnipotentis brachii tui, & totius
mundi victoria, ac triumphus inferni.

NUMERUS XIV.

*Mirabile victoria, virtute Eucha-
ristie, omnium Dei mirabilium
maximi, per Christianos Principes
de fidei inimicis reportata.*

S. I.

Antiqui Gentiles, solem hunc
visibilem, certaminibus præ-
fidere crediderunt: tanquam
ducem exercituum. Ideò Persarum
Reges, cùm ad Bellum procedebant,
solis imaginem, globo cryſtallino in-
clusam in medio castrorum, in subli-
me elatum, omnium oculis exhibe-
bant, ut ab omnibus invocaretur ad
felicem Belli exitum; sed nulla socie-
tas fidelibus cum infidelibus. Sciunt
Christiani solem justitiæ, non alium
esse, quàm JESUM-CHRISTUM;
& omnes Catholici, solem hunc my-

K 4

sticum, in Sacramento Altaris absconditum, non mysticè solum, aut in figura tantum; sed verè, realiter, & substantialiter contentum, & existentem, eundem solem justitiæ JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum adorant; & qui majori fide, ac pietate ardent, majori cum fiduciâ, & dilectione illi adhærent: & illo se armant ac muniunt contra omnes corporum, & animarum, atque totius Ecclesiæ militantis inimicos. Divina enim Eucharistia est omnium victoria, semper est invictus qui per Eucharisticam Communionem arctissimè Christo est vincit. Nimirum Verbum Divinum, in hoc mirabili Sacramento sedem suam fixit, sicut caput & Dux totius Ecclesiæ suæ militantis: ibi est velatus accidentibus, ut Imperator in suo militari tentorio, velut arca viva novi foederis contra hostes deportanda: ibi est ut Angelus Domini dominantium, in columna ignis, qui gradiebatur ante populum electum, quem ducebat in terram promissionis. Sic Christus victor omnium per Eucharistiam, in illa per-

manebit nobiscum, usque ad finem mundi, ut semper vincat in nobis, per nos & nobiscum, qui semel in Cruce moriens triumphavit pro omnibus nobis. Ex plurimis mirabilibus victoriis, quæ huic mirabili Sacramento tribui debent, paucas hic refero, ex Annalibus Ecclesiasticis depromptas.

Constans Imperator, Filius Constantini magni, Sacramentum Eucharistiæ, in medio exercitus sui collocatum, adorari ab omnibus præcepit; & omnes Duces suos & milites hortatus est, verbo & exemplo, ut ante pugnam, contra Magnentium, Sacro illo cibo se reficerent. Quo peracto panis ille cœlestis, supersubstantialis, Divinus Dei-Hominis omnipotentis, novi nostri Gedeonis gladius; ingenti hostium cæde factâ, tyranni copias numerosas, funditus profligavit; modico suorum damno. Catalacus à Michaële Imperatore toti exercitui Christianorum præfectus, Saracenis, Mumertinam, seu Messianam in Sicilia oppugnantibus, antequam impressionem faceret in hostes, sese cum suis Sacro illo Viatico munire

voluit, quo omnes armati, & ad certamen, sicut leones intrepidi animati, Deus exercituum in illis manens, tantâ trepidatione hostilia castra concussit, ut obsidione urbis solutâ, cæsi fugatiq̃ue sint inimici, & semper victricis Eucharistiæ fortitudine penitus contriti.

Robertus inter Galliæ Reges pietate, & fide in Eucharistiam, Illustrissimus: Melodunum urbem rebellem, propè Parisios obsidebat; cujus mœnia illicò corruerunt, dum ipse Sacro Missæ Sacrificio, cum suis adesset: quo miraculo Deus exercituum in Sacramento Altaris absconditus, etiam incredulis certum & perspetum esse voluit: Vim Eucharisticam, omnibus bellicis tormentis & machinis fortiorem, nullamq̃ue esse arcem inexpugnabilem Belli Sacri ducibus: qui non in suis armis, sed in hoc exinanitæ Majestatis mysterio confidunt & gloriantur. Godefridus Bullionii Dux, priusquam Hierosolymam ultimâ impressione copiarum factâ occuparet, voluit totum exercitum Christianorum, hoc cibo fortium roborari,

optatum habuit exitum tam Christi-
 stiani Ducis pietas ad omnia utilis:
 urbem triumphator ingressus est, &
 ipsum Regem Regum, in Regiam
 suam, non super militum humeros,
 sed in suo, & suorum omnium corde,
 & pectore introduxit. Quo trium-
 phi genere, nullum potest esse, nec
 excogitari gloriosius, & mirabilius.
 Alphonfus Rex Castiliæ anno millesi-
 mo ducentesimo, quinquagesimo se-
 cundo usque ad ducenta Saraceno-
 rum millia profligavit, desideratis so-
 lum viginti quinque ex suis militi-
 bus. Nimirum Panis ille vivus, & vi-
 talis, vitam dans homini, contra om-
 nia mortis tela; sic milites Christi ob-
 armarat, ut nulli essent vulneri lætali
 obnoxii; & ipsius mortis victores, per
 Eucharistiam, immortalitatis alimo-
 niam effecti sunt.

Carolus Martellus eodem admira-
 bili Sacramento armatus, animatus,
 accensus, & totus æstuans ac inflam-
 matus, sicut fulmen, cum paucis, sed
 selectis copiis eodem igne incensus,
 Abderamum cum trecentis Saraceno-
 rum millibus, Cæsarodunum obsi-

dentem ; instructa acie ad pugnam provocatum , tanto impetu aggressus est , ut plenam de hostibus victoriam consecutus , eum tota Galliâ fugaverit , expulerit ; sicque Christianissimum Regnum à sævissimo Christiani Nominis hoste liberatum est , semper vincente in suis adoratoribus Divinâ Eucharistiâ , triumphatrice omnium inimicorum Sanctissimæ Triadis , & Dei-Hominis JESU-CHRISTI , & totius Ecclesiæ militantis.

NUMERUS XV.

*Sanctus Henricus Imperator , virtute
Eucharisticâ semper victor.*

§. I.

Placet ne ad majorem gloriam Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti , & ad laudem Romani Imperii Catholici ; innumeras toto orbe Christiano sparsas , ejusdem Eucharistiæ victorias , quasi in unum cumulum colligere , coacervare , & congregare ? Inter omnes Imperatores